similiter, in sex prioribus millenariis mors regnabit, atque vigebit; at, vero, in septimo millenario, erit beata vita, quae a mundi fine sumptura est initium.

Secundo, principaliter, sic arguo: finita lege et tempore gratiae, mundi finis aderit, et Christus veniet, nam lex gratiae duratura est usque ad mundi finem, ut docet fides; sed legi gratiae praefinitum est atque praefixum tempus durationis mille sexcentorum quinti (1) et sex annorum; igitur, cognosci potest, et certo diffiniri tempus, in quo Christus venturus est. Consequentia cum majori patet, et probatur minor: quia lex gratiae tot annis duratura est, quot fluxerunt a mundi initio usque ad diluvium; fluxerunt, autem, secundum veram computationem Hebraeorum et Vulgatae editionis, 1656 anni; igitur... Quod, autem, utriusque aetatis aequalis futura sit duratio, probatur ex illo Matthaei, capite XXIV: «Sicut in diebus Noe, sic erit adventus filii hominis»; de quibus verbis Origenes (homilia 2.ª *in Genesim)* disserens dicit: «In quo evidenter una eademque forma diluvii, quod praecessit, et finis mundi, quem venturum dicit, designatur»; igitur, illa aetas hujus aetatis figura fuit, et utriusque durationis tempus aequale futurum est.

Tertio, sic argumentor: Matthaei X, cum Christus mittebat Apostolos ad praedicandum, dixit illis: «Non consummabitis omnes civitates Judaeae, donec veniat Filius hominis»; igitur, constat definitum fuisse in Scriptura Christum adventurum quando Apostoli peragrassent omnes civitates Judaeae, et ex consequenti, constat quod tempus adventus Christi non solum potest ex Scriptura certo cognosci, sed etiam quod jam est elapsum, quod potest confirmari ex illo, quod est apud Matthaeum, in XXVIII: «Ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi», nam

(1) Ita in originali, abs dubio pro *quinquaginta;* nam ad marginem legitur: *1656.*

hoc dicebat Christus Apostolis; igitur, si cum illis futurus erat usque ad consummationem saeculi, consequens est saeculum Apostolorum aetate fuisse finiendum.

Ultimo argumentor sic: Christus apud Matthaeum, capite XXIV, dicit: «Et praedicabitur hoc Evangelium cunctis gentibus: et tunc veniet consummatio»; igitur, praedicato Evangelio cunctis gentibus, Christus venturus est, idque tempus est certum et diffinitum in Scriptura; sed evangelium tempore et aetate Apostolorum cunctis gentibus praedicatum est, Paulo id affirmante *(ad Romanos,* capite X), dicens: «Sed nunquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum»; igitur, consequens est, non solum tempus adventus Christi posse cognosci ex Scriptura, sed jam elapsum fuisse.

In hujus rei explanationem notandum, aliud esse quaerere, utrum sit a Deo diffinitum, et statutum aliquod certum tempus adventus Christi, et mundi consumationis; aliud, vero, quaerere, utrum id tempus sit proditum in Scriptura, ita ut a nobis certo cognosci possit atque diffiniri. Nam Origenes, ut apparet tractatu XXX super Matthaeum, usque adeo abhorret ab eo ut affirmet nos posse cognoscere hujusmodi diem, ut etiam dicat, Deum ipsum quidem statuisse consummare mundum, sed tempus, quo id facturus sit, nondum statuisse; et ad istam rationem accommodat illa verba Christi, quae referuntur a Luca *(Actorum* I): «Non est vestrum nosse tempora et momenta, quae Pater posuit in sua potestate», nam inquit Origenes: «In sua potestate tempora et momenta consummationis mundi, et restitutionis regni Israel, posuit, ideo quod nondum fuerat praedefinitum a Deo; et sic nemo poterat scire», et Paulo infra: «Si, autem ita est, praedefinivit, quidem, consummationem mundi facere, non autem tempora et momenta praedefinivit, quae posuit in sua postestate». Sed, ut incipiamus ab hoc errore, sit 1.ª propositio:

Tempus adventus Christi et consummationis saeculi diffinitum est a Deo ex tota aeternitate, estque illi manifestum atque notum.

Probatur ex illo Marci XIII: «De die illo nemo scit, nec Angelus, nec Filius, sed solus Pater»; igitur, Pater scit, quo tempore et quo temporis momento oriturus sit dies ille, scit futurum illum diem; igitur praedefinivit atque voluit ut esset futurus. Item, 2.°, vel praedefinivit ab aeterno illum diem, et sic habetur intentum; vel ex tempore diffiniturus est, et sic sequitur, quod in Deo existit de novo aliquod decretum et aliqua voluntas, quod est perabsurdum. Sed dicet aliquis: quare Christus Dominus dixit, loquens de illis temporibus: «quae pater posuit in sua potestate», et non dixit: «quae pater posuit in sua cognitione et scientia»; nam, certe, hoc videtur significasse, Patri nondum esse decretum et statutum, quo die Christus venturus sit, sed illud esse reservatum potestati voluntatis suae, ut quando velit, et quando ipsi vissum sit oportere, certum diem statuat atque decernat. Ad hoc, dicendum est, quod ille dies dicitur positus in Patris potestate, propterea quod, quia (1) Pater nondum definierit, quo tempore ille dies futurus sit; sed quia ejus rei notitiam, sibi reservavit uni; cum, autem, dico sibi *uni* reservavisse, non excludo Christum, etiam in quantum homo, a cognitione hujus diei, quamvis dicatur Marci XIII: «De die illo nemo scit nec Angelus nec Filius»; quae verba varie interpretantur a theologis, sed ea commodissime explicat Origines, loco superius citato, et Divus Hilarius (libro IX *de Trinitate*, prope finem), ad quos remitto vos.

Secunda propositio est:

Quo tempore atque die, certo et determinato, Christus venturus sit non est proditum in Scriptura, nec traditum ab Apostolis; itaque, nemo id potest certo statuere, sine temeritate ingenti.

(1) Sic in originali, pro: *non propterea quod.*

Probatur aperte ista propositio, 1.°, ex illo Marci, statim citato: «De die illo et hora nemo scit»; item, ex illo Actorum, I: «Non est vestrum nosse tempora et momenta etc.»; item, ex illo Pauli in priori ad Thessalonicenses, capite V: «Dies Domini, sicut fur in nocte, veniet». Itaque de hac re Christiano dubitare non licet: de quo, videte Divum Augustinum in epistola LXXX ad Hesychium.

Et ad argumenta in oppositum: ad primum argumentum, negatur esse certum aut proditum ab Esaia propheta mundum intra sex mille annos esse finiendum; nam illud vaticinium, quod dicitur domus Eliae, non est vaticinium Esaiae prophetae, sed potius est commentum cujusdam Rabbini, sic vocati, ut facile potest colligi ex libro Talmud, loco superius citato. Et ad auctoritates Doctorum Ecclesiae, respondetur illos non affirmare id pro certo, sed ponere tanquam probabile et verosimile, quamquam Divus Augustinus (commentariis in psalmum VI et psalmum LXXXIX) nec probabile id esse arbitratur. Et ad conjecturam, respondetur, ex illis nihil potest confici, quod certum sit. Et ad secundum argumentum principale, conceditur, quod aetas mundi ante diluvium continet figuram aetatis, quae est sub lege gratiae; sed, tamen, negatur ex eo sequi, quod utriusque aetatis duratio sit futura aequalis. Et ad testimonium, quod affertur ex Divo Matthaeo, respondetur, quod illis verbis non docet Christus aequalem futuram durationem utriusque aetatis, sed docet quod, quemadmodum tunc diluvium oppressit homines securos, et nil tale metuentes nec expectantes, ad eumdem modum mundi finis adventurus est hominibus de repente et praeter eorum spem; unde statim Christus adjecit in illo loco Matthaei: «Sicut erant ante diluvium comedentes, atque bibentes, usque ad eum diem, quo intravit Noe in arcam, et non cognoverunt donec venit diluvium, et tulit omnes: sic erit et adventus filii hominis». Et ad tertium argumentum principale, ex illo Marci: «Non consumma-

bitis omnes civitates», etc., dupliciter potest responderi: uno modo, ut respondet Theophylactus, scilicet, quod ibi non loquitur Christus de suo ultimo adventu ad judicium, sed agit de suo congressu proxime futuro cum Apostolis: nam mittebat illos tunc ad praedicandum ante passionem suam, et eosdem paulo post ad se recepit; itaque, dixit illis: «Ite nunc et praedicate evangelium» per Judaeam, nec sit vobis molestum a me detrahi atque divelli, nam paulo post congrediar vobiscum. At, vero, Divus Hilarius respondet, 2.°, Christum illis verbis dicere se venturum ante quam plene adducant Judeos ad fidem; nam Judei nondum sunt plene conversi, sunt autem integre convertendi in fine saeculi, ut praeditum est ab Osea, capite IV. Ad ultimum argumentum, conceditur, quod Christus venturus est quando plene evangelium in universo mundo fuerit praedicatum; sed negatur tempore Apostolorum evangelium fuisse praedicatum omnibus gentibus. Et ad testimonium Pauli, respondetur, cum Divo Augustino (in epitola LXXX), quod Paulus non dicit illis sua aetate praedicatum fuisse evangelium omnibus gentibus, sed affirmat fore praedicandum; nec obstat, quod praeteriti temporis utitur voce, dicens: «In omnem terram exivit», nam et David ipse, cujus sunt illa verba, eadem voce usus est, et tamen evangelium ejus aetate nondum praedicari caeptum erat, sed tamen id dixit more prophetico, quo more praeterita pro futuris saepe ponuntur.

Caeterum, his ita constitutis, quaerat aliquis, utrum saltem in Scriptura sint expressa aliqua signa, quae antecessura sint adventum Christi. In hoc sit ultima propositio:

Proditum est expressum in Scriptura aliquas res insignes futuras ante adventum Christi.

Nam, 1.°, evangelium praedicandum est per totum orbem, ut constat ex loco Pauli, jam citato, 2.°, Judaei sunt plene convertendi, ut constat Oseae, cap. IV, et *ad Romanos*, XI, 3.°, Elias et Enos venturi sunt, ut constat Mala-

chiae, ultimo, et Matthaei, IX, (de quibus rebus Divus Augustinus disserit copiose toto libro XX de *Civitate Dei*). 4.°, ante Christi adventum erit quaedam secessio et apostasia, et revelabitur Antichristus, de qua re disserit Divus Paulus in praesenti. Unde sequitur in textu:

3.—Ne quis vos seducat ullo modo: quoniam nisi venerit discessio primum, et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis,—4—qui adversatur, et extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se, tanquam sit Deus.

In quibus verbis, Divus Paulus duo ponit necessario futura ante Christi adventum: discessionem, quam vocat, et adventum Antichristi; nam quod dicit: NISI VENERIT DISCESSIO PRIMUM, praecise dictum est (1). *(Caetera desiderantur).*

(1) Ad marginem: «porque fué aballadolid al pleito de la cátedra, no pudo leer más de asta aquí, que harto losentimos todos».